



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Mauritii Gudeni Historia Erfurtensis Ab Vrbe
Condita Ad Reductam**

**Gudenus, Johann Moritz von
Erfurti, 1675**

XXX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11903

Deditio-
*nis
leges.*

abrupta sunt : † Civitas Electoris, Principis sed clementiae se dederet, Cyriaciburgum & duas portas Brületensem ac Krempherianam, usq; dum de urbis securitate, de custodia pro libitu disponeret Elector, traderet, reliquæ non nisi ruricolis aperirentur. Religionis libertas jam olim promissa libera, & citra molestias esset. Pradellius & Legati Electorem placarent, ne poenas à civibus, aut bonis eorum exigat. Rustici ad prædiorum culturam ex urbe dimitterentur. Exclusi à gratiæ legibus, qui præ cæteris in Cæsaream Majestatem, in Electoris eminentiam peccaverant. Hæ leges per Deputatos Urbis & Regis-Curiam delatae, atque præmissæ flexis genibus deprecatione Principi Electori exhibitæ sunt. Ratihabuit Elector Legatorum pacta, utque apud Cæsarem Erfordia expiaretur, sibi curæ futurum promisit, his quoque gratiam spopondit Elector, quibus Legati negaverant, eandem ut Cæsar largiretur, se laboraturum: Expensas belli quantumvis ingentes, non ex privatorum bonis, ut ob delicta posset, verùm Universitatis sumturus.

XXX.

*Ipse Elector
urbem ac-
cedit.*

Acta hæc Regis-Curiæ sexto decimo Octobris, unde Elector cum integra Aula Erfurtum movit. † Cum propè urbem venisset, ab universo exercitu armis, & trina machinarum explosione salutatus est, iisdem vallum intonuit. Cives arma deposuerant, quo minus exacti tumultus imaginem Domino exhiberent. Electorem Magnatum ingens numerus omnis ordi-

ordinis & dignitatum stipabat. Isto pom-
pæ ordine Urbem ingressus est , quæ feli-
citas à duobus sæculis Majoribus negata.
Occurrit in vestibulo Mariani templi Cle-
rus, brevi oratione de prosperè gestis , de
adventu gratulatur. Postea ad ipsam
Ædem deductus Elector , ubi Ambrosia-
nus hymnus decantabatur. Inde Mona-
sterium S. Petri , solitam Electoribus Se-
dem concendit. † Confestim Senatus por-
tarum claves obtulit.

*Claves por-
tarum ob-
latæ.*

Prima de occupatæ Urbis regimine cura, XXXI.
quomodo & scopuli veteres caverentur,
& communis boni tutela firmaretur. Vi- *Homagium*
sum † sueto olim Jurejurando subditos ob- *præstitum.*
stringere. Convocati in majore foro ci-
vies, Elector in latioribus gradibus sub um-
bella holoserica stetit. Senatores pro-
pius, reliqua multitudo per forum erat dif-
fusa : Ibi in genua devoluti , quæ pecca-
verant hactenus, deprecati sunt. Elector
clementiam Regis-Curiæ promissam ube-
rius spondet. Singuli Civium secundum
regiones, & tribus , stipulatâ manu obedi-
entiam Electori promiseré : † Ii qui extra
portas habitant, tumultuum Rei, per li-
bellum Electori innocentiam suam pro-
ponebant : Faterise, quod motibus im-
mixti, imò in tumultu primi fuerint , ast
ex alieno hoc delicto non suo evenisse:
calliditate imperantium se circumventos,
qui simplicem multitudinem ad tegmen *Electoris*
suæ rebellionis concitarint. Scilicet † *Clementia*
Emi-

*Excusatio
suburbano-
rum.*